



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvtaio XII. De institutione, & partibus Sacramenti Pœnitentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

ad sui perpetuitatem, & vt nunquam sine hominis culpa auferatur; imò, vt si absque culpa ablata fuerit, restitatur. Sic enim in humanis, qui semel filius adoptiuus, vel amicus fit, alicuius, videtur iam habere ius aliquod, vt sine culpa non priuatur filiatione, vel amicitia; atque adeo, vt si absque culpa priuatus faciat, restitatur. Vnde, si natura humana semel à Verbo diuino ad hypostaticam, vnionem assumeretur, non solum acquirit ius ad perpetuitatem vnionis, & status illius, sed etiam vt si aliquando dimitteretur, restitueretur postea ad eundem statum; imò consequenter videtur acquirere ius, vt si de potentia Dei absoluta, destrueretur, & annihilaretur postea tamè reproduceretur, & reassumeretur: hoc enim totū videtur includi in perpetuitate status, ad quā affert ius vnio illa humanitati semel data. Quod idē cum proportionē de gratia habituali dicendum videtur, per quam homo adoptatur in filium, & assumitur in amicum Dei, atque adeo affert ius ad perpetuitatem, hoc est, vt sine culpa non cadat homo ab eo statu, & dignitate, & si ceciderit absque culpa restitatur.

Ceterum, quod attinet ad propositum nostrum, & restitutionem gratiæ per peccatum amissæ, non vtor illo argumento, quia vt dixi *sect. 1.* si Deus remitteret peccatum per meram condonationem extrinsecam absque infusione gratiæ, non repugnaret neque esset contra naturam, & dignitatem meritum præcedentium, quod non reuiuiscerent, nec restitueretur gratia illius correspondens: multo ergo minus esset contra exigentiam gratiæ habitualis collata per Sacramenta, quod non restitueretur postea, si homini absque gratiæ infusione per condonationem Dei remitteretur peccatum. Ratio autē sumitur *sex* supradictis: quia licet gratia semel collata exigat ex se perpetuitatem hoc est, vt sine culpa non tollatur, non tamen exigit vt conferretur, vel restitatur posita culpa hominis. Et quāuis remisso peccato, auferatur culpa; posset tamē Deus remissa culpa, non remittere pœnā, vel totam, vel partem. Posset ergo Deus, condonare culpam, non condonare pœnā, saltem quoad partem illam nō recuperandi gratiā habituale ablatam, filiationē, & amicitiam, atque adeo non esset cōtra naturam cōdonationis nec cōtra exigentiā gratiæ, quod gratia nunquam restitueretur; quia cū fuisset ablata propter culpam hominis, posset in pœnā illius culpæ nunquam restitui. Melius ergo probatur ne-

cessitas restituendi gratiam, ex exigentia gratiæ, qua peccator iustificatur, quæ gratia exigit vt non puniatur homo amplius pœna æterna ob peccatum præteritū, atque adeo quod non patiatur priuationē æternam illius gratiæ, quam propter peccatū amisit.

Ex dictis inferitur primò cū Suarez, & aliis hominem per pœnitentiam semper resurgere ad maiorem gratiam, quam prius habebat; recuperat enim totam illam, & præterea accipit illam de nouo ex vi contritionis, vel Sacramenti præsentis. Nec ex hoc sequitur, eum esse melioris conditionis quam si non peccasset: Si enim non peccasset, habuisset præmium eorū omnium operum, quæ fecit, quandiu erat in statu peccati, quæ tamen nunquam ad præmium illi proderunt beatitudinis æternæ, cum fuerint opera mortua.

Obiiciunt aliqui experientiam cōtrariam, quia pœnitens sæpe experitur in se difficultatem ad bene operandum: ergo non recuperat habitus virtutum in ea intentione, quam prius habebant. Respondetur facile, habitus infusos non dare facilitatem, sicut acquisitos, vt alibi docui, & ex multis aliis experientiis comprobauit cum Vasquez *1. 1. disp. 83. cap. 1.* quem sequitur Coninch. *in præsent. num. 17.* difficultas ergo illa oritur ex defectu exercitij bonorum operum, quæ paulatim contrariis actibus expellenda est, & auxiliis diuinæ gratiæ, quæ magis in dies inclinent, & moueant voluntatem ad obiecta, à quibus prius auertebatur.

Infero secundò, Adamo etiam restitutam fuisse gratiam habituale, quā ante peccatū habuerat. In quo immerito, & absque fundamento dubitat P. Coninch in præsent. Ratio enim supra adducta eodem modo probat de illa, sicut de nobis: quia alioquin Adamus pateretur aliquam æternā pœnā sui peccati, scilicet, carentiam illius gratiæ, & gloriæ correspondētis. Quāuis ergo nō recuperauit in hac vita iustitiam originalem: recuperauit tamen gratiam habituale, quæ licet quoad primam collationē non fuerit ex meritis Christi, fuit tamē quoad reparationem, in quo nullum est inconueniens.

Restabat, vt nunc ageremus de alio effectu pœnitentiæ in ordine ad satisfaciendum pro debito pœnæ temporalis: de hoc tamen commodius dicemus infra *disp. 24.* post explicatas alias partes Sacramenti pœnitentiæ, ne tractatum de satisfactione diuidamus, sed simul de satisfactione ex opere operantis, & ex opere operato tractemus.

54.
Homo per
Pœnitentiam
semper resur-
git ad ma-
iorem gratiā,
quā prius
habebat.

55.
Adamo resti-
tuta fuit gra-
tia habitua-
lis, quā an-
te peccatum
habuerat.

TRACTATUS DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

DISPUTATIO XII.

De institutione, & partibus Sacramenti
Pœnitentiæ.

SECT. I. Sacramentum Pœnitentiæ ab aliis
distinctum à Christo esse institu-
tum.

SECT. II. De partibus Sacramenti Pœnitentiæ.

SECT. III. Quid importetur in recto per Sacra-
mentum Pœnitentiæ?

POST QUAM egimus de virtute Pœni-
tentiæ, sequitur vt de Sacramento pœni-
tentiæ agamus: quod quidem multis no-
minibus apud Patres, & Concilia appellari solet. *Primo* vocatur: *Lauacrum lachrymarum*, & *Secunda* *purgatio*. Sic Nazian. oratione in sanctum lauacrum, & oratione in l. unianaria. *Secundo* vocatur *iterabi-
lis Baptismus* differt enim à primo baptismo, quia
iterabilis non est. Sic August. *lib. de Baptismo*. Tet-
tio

Varia nomi-
na Sacramē-
ti Pœnitentiæ.

Conc. Trid.

tio vocatur baptisimus laboriosus, vt ex Sanctis Patribus refertur in Conc. Trident. sess. 14. c. 2. & redditur ratio, quia habet adiunctum laborem & fletum. Quod dicitur *Sacramentum Confessionis*, quo nomine vitur Cyprianus *serm. de baptis.* & Lucius Papa in *cap. ad abolendam.* de hæreticis. Quinto, dicitur *secunda tabula post naufragium*, quod nomen merito à SS. Patribus usurpatum fuisse definit Concil. Trident. sess. 6. c. 14. & sess. 14. can. 2. scilicet contra hæreticos recentiores, qui illas appellationes vehementer reprehendunt, prout facit Caluinus in Antidoto contra Trident. vt refert Becanus art. 3. pag. 106. illam tamen metaphoram ex Tertullian. lib. de pœnitentia accepisse videntur Hieron. epist. ad Demetriad & epist. ad Sabinum Diac. & epist. 2. ad Pammach. & lib. 2. in c. 3. Isaia, & supra Daniel & habetur in c. 1. Tabula de pœnit. dist. 1. Ambros. lib. ad Virginē lapsam c. 8. Pacianus epist. 1. & 2. ad Sempronianum, & alij. Sexto appellatur *Reconciliatio*: quod vocabulum colligi potest ex Euaristo in c. presbyteri 26. q. 6. & ex c. 11 qui, eodē loco. Septimo dicitur *Manus impositio*, vt colligitur ex Conc. Carthagin. 3. c. 12. & ex Arriano 1. q. 1. Cyprian. *serm. de ablut. pedum.* Hieronymo contra Luciferianos, & contra errores Ioannis Episcopi Hierosolym. Leone Papa epist. 90. Augustin. lib. 3. de unico bapt. c. 15. & lib. 4. cap. 27. & habetur in c. Manus. 1. q. 1. Quod etiam vocabulum aduersus VViclephum, qui illud reprehendit defendit VValdensis 2. de Sacramentis. c. 147. & dicit ortum habuisse ex illo *Leuitici* 16. vbi Sacerdotes manum imponebant hirco pro peccatis immolando. Negari tamen non potest, illud nomen apud Patres frequenter significare reconciliationem solemnem, quæ dari solebat agentibus publicam pœnitentiā, vt colligitur ex Conc. Araucan c. 3. & ex Glossa in dictū. c. Arrianos, & Conc. Carthagin. 5. & ex c. Cōfirmandum, dist. 50. vbi reiciuntur à sacris ordinibus, qui manuum impositione purgati fuissent, quod de Sacramento pœnitentiæ solo intelligi non potest. Idem constat ex S. Leone in c. Alienum eodē loco qui addit, manuum impositionem esse in signum orationis, quæ fit pro eo, cui manus imponitur; Ideoq; non esse manū imponendam Sacerdoti, quia vt dicitur *Leuit. 4.* Si peccauerit Sacerdos, quis orabit pro eo? quod etiā de mero Sacramento intelligi non potest. Vltimo appellatur *Sacramentum Pœnitentiæ* quam vocem reprehendere videtur Dur. dist. 14. q. 1. & 3. qui magis propriè appellandum dicit *Sacramentum Confessionis*, & *absolutionis*: hoc tamen ex falso fundamento procedit quod essentia huius Sacramenti solam confessionem, & absolutionem includat: Similiter lacob. Fab. in c. vlt. S. Dionys. de Eccles. Hierarch. dicit, potius debere vocari, *Sacramentum remissionis*. Cæterum non potest absque temeritate reprehendi vocabulum, quo non solum Theologi omnes, sed Conc. Flor. & Trid. cum tota vniuersali Ecclesia vtiuntur, cuius vocabuli rationē reddit S. Thom. in 4. dist. 16. c. 1. art. 1. quia, scilicet, omnes partes huius Sacramenti pœnam, & laborem includunt, cōtritiō affert dolorem, confessio ruborē, satisfactio laborem. Magis deniq; cauendum est à nomine illo *Sacramenti absolutionis*, ne fauere videamur hæreticis huius temporis, qui confessionem, & contritionem de medio tollunt, & hæc de nomine sufficiant.

2.

Loquendo ergo iam de re ipsa, primo loco doctrinæ ordine occurrit questio, an sit hoc Sacramentum: circa quam plura solent ab aliquibus disputari, quæ commodius disputabuntur paulo inferius: vt puta de potestate, quam Christus tradidit Apostolis, de clauibus, de necessitate huius Sa-

cramenti, de iterabilitate, item an per illud remittatur culpa, an solum pœna? & alia eiusmodi, de quibus partim dicemus explicando formam huius Sacramenti, partim agentes de confessione, vbi de eius necessitate, & materia, ne eadē repetere cogamur. In hac ergo disputatione breuiter, & quasi in communi probabimus institutionem Sacramenti pœnitentiæ, deinde eius partes, quibus intrinsecè constat, postea verò disputationibus sequentibus de singulis partibus sigillatim agendum erit.

SECTIO I.

Sacramentum Pœnitentiæ ab aliis distinctum à Christo esse institutum.

Negarunt plures hæretici antiqui, & recentiores; quorum primus dicitur fuisse Montanus Cataphrygarum Dux teste Lindano 4. Panop. c. 60. & 61. & Castro verb. pœnit. heres. 1. qui (vt refert Hieron. 2. contra Iouinian. & epist. ad Damasium & Anselm super illud ad Hebr. 6. impossibile est, eis, qui semel sunt, &c.) docuit lapsum reparari nō posse. Hanc hæresim tenuit postea Novatus Presbyter Romanæ Ecclesiæ, à quo orti sunt Novatiani (qui & Cathari, immundi appellati sunt) cuius meminit Euseb. 6. hist. Eccl. c. 35. & hist. tripartita lib. 2. c. 13. VVicleph. etiam licet non negari lapsi reparationem, negauit tamen auricularem confessionem, contra quem egit ex professo VValdensis, qui lib. de Sacram. c. 135. refert Iulian. Apostatam, Mallianum, & Iacobitas solitos irridere confessiones. Lutherus denique licet à principio nō negauerit hoc Sacramentū, sed tātū necessitatē cōfiteri omnia mortalia, aut aliquod in particulari, dicens simul, inquit esse cōfiteri venialia: postea tamē funditus abstulit hoc Sacramentum; nam in fin. li. de cap. Babyl. sic ait: Si loqui rigide volumus, tantū sunt duo Sacramēta in Ecclesia baptisimus, & panis. Similiter Melancthon, Zuingsius, Caluin. Kemnitius apud Decan. ar. 1. & Paynam lib. 8. quia nulla determinata caeremonia instituta est à Christo, vt Sacerdotes absoluant à peccatis, sed tātū prædicatio Euāgelica, quæ fidē excitat iustificat: addit Caluin aliam rationem, quia non est signum visibile, sed cecēdibile. Novati hæresim impugnauit Ambr. in lib. de pan. Cyp. ser. de lapsis Chrysost. lib. de repar. lapsi. Aug. de hæresib. ad Quod heres. 38. Corn. Papa ea dāuit in Cōcil. quodā Romano cuius meminit Euseb. sup. c. 34. sicut etiā damnatur in Cōc. Nicen. 8. sura de orer. & in Trident. sess. 6. c. 14. & can. 29. Vnde obiter notādum est, falsō Beatū Rhenanum amos in Tertul. dixisse Aug. & PP. antiquos potius cōsentire Novatianis, dicendo pœnitentiā non esse iteradā. Nam Ambr. 2. de pan. c. 10. & alij, qui hoc dixerunt, loquuti sunt de pœnitentia solemni, quam non esse iterandam probat Lindan. vbi supra c. 61. & Aug. expressè impugnat Novatum epist. 68. & in lib. questionum noui, & vet. testam. quæst. 102. & alibi sæpe.

Deniq; errores hæreticorum nostri temporis damnarunt PP. & Concilia Flor. in decreto Eugen. Const. sess. 13. Trid. sess. 14. c. 1. 2. & 3. & can. 11. & 3. damnatur etiam in c. Ad Abolendam, de hæreticis. Patrum verò loca late afferuntur à Recentioribus. Patrum verò loca late afferuntur à Recentioribus. Patrum verò loca late afferuntur à Recentioribus.

Colligitur hoc fidei dogma ex Verbis Christi clarissimis Ioan. 20. vbi hoc Sacramentū instituit, d. xit, quorum rem seritis peccata remittuntur eis, &c. in quibus constat promitti gratiam; nam peccatum mortale

mortale non potest remitti absque infusione gratiæ. Constat ite requiri ritum sensibilem per quem illa gratia significetur, & conferatur, nam requiritur, quod Apostoli tanquam Iudices remittant peccata, quæ debet esse actio humana, & sensibilis: constat ergo in presenti institutum fuisse verum Sacramentum pœnitentiæ, cum Sacramentum non sit aliud, nisi signum sensibile ex institutione infallibiliter significans, & causans gratiam.

Hoc testimonium variè eludere conantur hæretici, sed nihil afferunt, quod impugnatione indigeat. Videantur contra ipsos, quæ afferunt Suarez, *disp. 1.6. sect. 1. & Bellar. d. lib. 1. de pœn. c. 10. & seq.*

Dicit aliquis, ex illo loco non colligi ritum sensibilem esse necessarium ad tollenda peccata, posset enim Sacerdos auctoritate diuina in corde suo remittere peccata, sicut quilibet potest remittere in corde suo offensas sibi illatas. Respondent aliqui remissionem illam, cum sit inter homines, debere fieri per signum sensibile sicut aliæ actiones humanæ sunt: quod explicari potest, retorquendo argumentum, nam si creditor remittat debitum solum intra se neque id exterius explicet, remissio nondum est valida, sed potest exigere suum debitum.

Sed contra hoc urgeri potest, quia si ex hoc capite requiritur remissio externa, deberet etiam illa talis esse, quæ pœnitenti manifestaretur, nam si creditor remittat debitum etiam verbis externis, si tamen debitor id ignoret, nec alius eius nomine acceptet remissionem, adhuc remissio non est irrevocabilis, & firma, sed perinde ac si esset merè interna, non enim acquiritur ius per illam debitori, cum ipsi non incrimetur, neque in eius notitiam veniat: similiter ergo ad valorem remissionis in hoc Sacramento non sufficit, quod Sacerdos dicat, se remittere peccata, si tamen illa remissio non auditur à pœnitente, neque ab alio, quod tamen plerumque accidit, quando, v.g. pœnitens post inceptam confessionem amittit vsum sensuum & absolvitur, vel etiam quando Sacerdos profert verba tam summissa voce, ut à pœnitente aliquantulum distante, vel surdo non auditur, nec percipitur, in quibus casibus non videtur esse illa remissio humana, qualis in aliis materiis desideratur: nam in stipulationibus, & actibus humanis requiritur certe, quod promittens audiat, & intelligatur à promissario; Ideo enim dixit Iustinianus Imperator in *San hac re instit. de verb. oblig.* parum referre, qua lingua fiat stipulatio; requirit tamen, quod uterque eandem intelligat. Vnde si in matrimonio, postquam alter coniux consensum præstitit, alter prior iam dormiente responderet, & consensum exprimeret, matrimonium nō valeret. Si ergo remissio peccatorum eadē regula metienda est, oporteret non solum ritum sensibilem adhibere, sed etiam linguam, & tali voce quæ à pœnitente audiri, & intelligi posset, quod tamen est contra praxim, ut constat.

Hæc difficultati respondere possumus, adhuc necessitatem ritus sensibilis in hoc Sacramento colligi, non solum ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ sufficeret, sed etiam ex ipsa Christi institutione: nead instantiam verò factam dicimus, hoc Sacramentum non esse institutum à Christo ad modum contractuum, vel donationum, in quibus procedit illa doctrina, sed ad modum Iudicii, in quo pœnitens est accusator, & reus: sacerdos verò est iudex, qui audita accusatione, & probatione sententiam profert. Sententia autem Iudicis legitimi ad hoc ut sit valida, non requiritur, quod quando profertur, percipiat, & intelligatur à reo, maxime si sententia absolutoria est, sed sufficit, quod proferatur in iudicio cum debita solennitate: sicut re vera pro-

P. Jean. de Lugo, de Pœnitentia.

fertur absolutio Sacramentalis: unde etiam pœnitens iam dormiat, vel non sit amplius sui compos, adhuc sententia valet, sicut etiam valeret in humano Tribunali sententia absolutoria illius, qui iam tempore sententiæ, rationis vsum amisisset, & sicut pœnitens gerit personam accusatoris, & rei, sic confessor gerit personam Iudicis, & Notarij, qui si dem faciat de sententia prolata: sicut etiam ad valorem legis pontificiæ, sufficit quod affigatur Bulla in loco solito, etiam si à nemine legatur: sic ad valorem sententiæ, quæ est lex priuata non requiritur ex natura sua, quod percipiat, vel intelligatur.

Hinc inferitur primò, hoc Sacramentum non fuisse ante Christi institutionem: nam institutio significat novitatem rei, quæ instituitur. Vnde minus cavendū est, in *su. dixit Magister*, hoc Sacramentum, & coniugium instituta fuisse in statu innocentie, nisi illud intelligat, non in ratione Sacramenti, sed confessionis, & coniugij: falsum etiā est, quod alij dixerunt confessionem auricularem institutam fuisse in Paradiso, cum Deus quæsit ab Adam *ubi es?* &c. vel postea cum quæsit à Cain, *Genes. 3. ubi est frater tuus?* vel *Iosue 7. cum dixit Iosue ad Achor. Fili mi da gloriam Deo Israël, & confitere, ac Iosue 7. indica mihi, quid feceris, ne abscondas.* Vel ab Apostolo Iacobo c. 5. in illis verbis: *Confitemini alterutrum Iacob, 5. peccata vestra, & orate pro invicem, ut saluemini.* Vel ab Ecclesia per generalem consuetudinem: quas sententias refellit Nanarrus de *pœnit. d. 5.*, explicans secundam partem glossæ, in qua referunt denique, quod dixit Bonaventura in 4. *dist. 7. sect. 1. art. 1. q. 1.* Sacramentalem confessionem à Christo institutam, ab Apostolis institutam, à Iacobo promulgatam, indiget explicatione, quatenus à Christo fuit minus explicite præcepta, ab Apostolis magis explicata, à Iacobo promulgata: quo etiam modo intelligendus est Marfil in 4. *q. art. 2.*, dicens, non fuisse à Christo explicite institutum hoc Sacramentum.

Inferitur secundò, nec in lege veteri fuisse aliquod Sacramentum pœnitentiæ ad remittenda peccata commissā post primam iustificationem, prout alicui voluerunt, inter quos est Guilielmus de Aulione, quem refert Ruardus *art. 1. de quo Sacramento explicat illud Apostol. ad Hebr. 9.* quod Pontifex summus introibat semel in anno in Sancta sanctorum non sine sanguinis effusione, quem offerret pro sua & populi ignorantia. Hoc tamen rejicitur ex eodem Apostolo ibi dicente, quod *sanguis raurorū, &c. inquinatos sanctificat ad emundationē carnis*, non ergo sanctificabat ad emundationē Spiritus. Et confirmatur, quia alioquin illud sacrificiū fuisset excellentius, & efficacius, quàm sacrificium Missæ, quod quidem nō delet ex opere operato peccata in eo, pro quo offertur etiam si attritus. Imò esset excellentius nostris Sacramentis, cum vñ, & idem numero sacrificium sanctificaret offerentem, & illos pro quibus offerretur, & quidem sine illa difficultate, & obligatione constendi sigillatim omnes species, & numerum peccatorum, quam habet nostrum Sacramentum pœnitentiæ.

Agit hoc loco P. Suarez de potestate à Christo Sacerdotibus data, non solum ad pœnas, sed ad culpas remittendas: de hoc tamen dicemus commodius agentes de sensu formæ. Agit etiam de differentia inter potestatem ordinis, & Iurisdictionis requisitam ad hoc Sacramentum, de qua dicemus infra *disp. 1.6. sect. 1.* ubi de institutione Confessionis. Agit etiam de obligatione Confessionis à Christo imposita, de qua dicemus agentes de Confessione. Nunc iam veniamus ad explicandam essentiam huius Sacramenti, & eius partes.

P. SECT

SECTIO II.

De partibus Sacramenti pœnitentiæ.

11. **O**misso errore hæreticorum nostris temporis, qui non solum negant confessionem, satisfactionem, & dolorem esse partes huius Sacramenti, sed etiam requiri ad illud contra quos diuersa sentientes late agit noster Bellarminus, lib. 1. de pœnitentia c. 18. & seq. inter Catholicos non est eadem sententia circa partes huius Sacramenti.

Primo enim Scotus in 4. d. 16. quest. 1. & alij dicunt solum absolutionem esse de integritate huius Sacramenti, quæ sententia distat longe ab errore Caluini, & Melanctonis: hi enim, recte Decano art. 11. pag. 26. & alij hæretici teste Lindano 4. panop. c. 61. dicunt non requiri confessionem, satisfactionem, vel contritionem, cum tamen Scotus dicat requiri.

Varia sententia de partibus Sacramenti Pœnitentiæ.

Secunda sententia dicit, hoc Sacramentum constare ex confessione, & absolutione, ita Dur. d. 14. q. 3. & dist. 16. q. 1. & Palacios ibi.

Tertia sententia dicit, partes esse contritionem, confessionem, & absolutionem, ita Marsilius in 4. q. 10. art. 1. cui videtur fauere Pighius contr. 9. fol. 181.

Quarta sententia est, quod partes sint, contritio, confessio, & satisfactio, non verò absolutio. Hanc tribuit Suarez Soto in 4. d. 14. q. 1. quia hoc Sacramentum est pœnitentia, absolutio autem non est pœnitentia.

Quinta sententia docet, partes esse confessionem, & satisfactionem; nam contritio cum sit spiritusalis non est sensibilis, ita Gabriel d. 14. q. 1. art. 1. & Aluísiodor. apud Carthusian. d. 14. q. 1.

12.

Sexta, & communis, ac vera sententia docet, hoc Sacramentum constare ex materia, & forma, formam quidem esse verba Sacerdotis *Ego te absoluo*; & e. materiam verò actus pœnitentis, qui sunt contritio, confessio, & satisfactio.

Hanc tenent Theologi communiter cum S. Thoma in presenti q. 84. art. 1. quos refert Suarez disp. 18. sect. 2. & 3. idem docent controuersistæ Ruardus Taper, art. 1. fol. 172. Lindanus ubi supra c. 64. in fin. Roffensis art. 5. Castro verbo Pœnitentia hæresi 1. Canisius de Pœnitentia c. 3. Vega lib. 1. 3. in Tridentinum c. 15. Bellarm. ubi sup. & alij.

13.

Pro huius sententiæ explicatione notandum est primo, ex Ricardo, & aliis in hoc Sacramento duplicem compositionem posse considerari, Prima est ex signo, & significatione; nam in omni Sacramento inuenitur id quod assumitur ad significandam gratiam, & ipsa significatio, seu institutio, & potestas significatiua; & in hoc sensu significatio, seu institutio est forma; reliqua verò omnia, & ipsa etiam absolutio sunt materia, quia ea omnia assumuntur, & instituuntur ad significandam gratiam. Secunda compositio potest considerari in ipsa materia significante; nam hæc etiam componitur rursus ex materia, & forma, scilicet, ex actibus pœnitentiæ, tanquam materia, & ex verbis Sacerdotis, tanquam forma, sicut etiam in baptismo absolutio est materia, & verba sunt forma, utraq; autem est materia respectu alterius formæ vterioris, quæ est significatio gratiæ. Nunc ergo non agimus de priori compositione, sed de posteriori.

14.

Notandum secundò, materiam Sacramenti adhuc in secunda consideratione sumptam posse dupliciter accipi, nempe pro materia proxima, & pro materia remota. Sic in baptismo materia proxima est ablutio, remota verò est aqua. In pœnitentia verò materia remota dicuntur peccata, proxima verò

dolor de ipsis, confessio eorum, & satisfactio pro ipsis. An verò ipsa peccata, quæ sunt materia remota, intrent ad componendum etiam intrinsecè hoc Sacramentum obiter indicabimus.

Notandum tertio, quando quarantur partes Sacramenti pœnitentiæ, duplicem adhuc posse esse quæstionis sensum. Primus est, quæ sit partes, ex quibus Sacramentum hoc adæquate sumptum in ratione Sacramenti componitur, siue illæ in recto significantur, siue in obliquo; non enim repugnat, (vt vidimus disp. 2. de Sacramentis in cōmuni sect. 1.) aliquam esse partem alicuius concreti, quæ tamen per nomen illud non significetur in recto; nam albi in recto solum significat subiectum regulariter loquendo, & albedinem in obliquo, licet albedo sit pars intrinseca albi vt albi, reduplicatiue accepti. Et in hoc sensu quare potest de partibus intrinsecis huius Sacramenti, siue illæ importentur in recto, siue in obliquo per nomen Pœnitentiæ. Secundus sensus quæstionis esse potest, pro quo supponat in recto Sacramentum pœnitentiæ; an pro sola absolutione, an pro sola confessione, & c. an pro omnibus illis æqualiter? Nunc quæstio procedit in primo sensu; postea verò sect. seq. dicemus aliquid de secundo etiam sensu ad pleniorē rei explicationem.

His ergo suppositis dicimus primò, formam huius Sacramenti, nempe verba Sacerdotis, esse partem illius intrinsecam. Hæc est contra quartam sententiam, licet fortasse Sotus non intendat excludere formam ab essentia Sacramenti, sed solum quod hoc Sacramentum, eo quod appellatur nomine pœnitentiæ, non supponat in recto pro absolutione, sed solum pro actibus pœnitentiæ, connotando tamen absolutionem in obliquo, de quo puncto dicemus postea.

Nunc ergo posita conclusio probatur primò, ex Concilio Florent. in decreto vniōis, & ex Trident. sess. 14. c. 1. ex Concilio Colonien. & Mogunt. c. 1. in fine, ex Confessione Polonica c. 45. & probatur apertè, quia positis omnibus aliis, & deficiente absolutione, non datur Sacramentum, ergo absolutio est aliquid intrinsecè completus, & componens Sacramentum, alioquin enim non posset non esse Sacramentum sine absolutione, quia tunc datur aliquid, cum datur totum eius esse intrinsecum, seu cum nihil intrinsecum ei deest: si ergo deficiente sola absolutione, non datur Sacramentum, sequitur dare absolutionem esse aliquid intrinsecum Sacramento.

Confirmatur primò, quia absolutio est id, quod potissimè significat, & operatur remissionem peccatorum, vt patet ex verbis, quibus profertur, & ex potestate Ministrum à qua oritur, ergo ipsa est potissima pars Sacramenti, vt Sacramentum est: Sacramentum enim est signum sensibile, & efficax gratiæ.

Confirmatur secundò, quia non posset esse forma Sacramenti, nisi esset pars illius: forma enim nō cōcurrit, nisi informando, & componendo cū materia aliquod totum resultans ex utraque: Ergo forma Sacramenti componit intrinsecè ipsum Sacramentum.

Nec obstat, Sacramentum hoc appellari pœnitentiæ: quia in primis aliquando etiam comminatio solet à forma sola, & appellatur Sacramentum reconciliationis, quia per illud sacerdotes reconciliant peccatorem Deo, & quidē non est nouum quod nomen Sacramenti desumatur ab eius parte: sic enim confirmatio solet dici *Christiana*, & baptismus nominatur à sola ablutione, quæ est materia, & extrema vnctio similiter à sola materia, & sic de aliis.

Dices, ergo, non sunt partes huius Sacramenti solæ, contritio, confessio, & satisfactio, quæ tamen solæ à Trid. numerantur sess. 14. can. 4. & in Bulla Leon. X. contra

contra Lutherum, vbi dicitur quintus Lutheri articulus dicentis non esse has tres partes Sacramenti poenitentiae.

Respondeo, In his locis non numerari omnes partes intrinsecas Sacramenti poenitentiae, neque enim ibi assignatur significatio, quae tamen est pars intrinseca Sacramenti in ratione Sacramenti, vnde vidimus: solum ergo numerantur partes materiae Sacramenti vt constat ex decreto Eugen. & ex Tridentino dicta *sess. 14. cap. 3.* vbi illae dicuntur solum partes materiae Sacramenti, vltra quas tamen ponitur ibi forma, quae est absolutio Sacerdotis. Ceterum communiter loquendo, quando fit mentio de partibus poenitentiae, illae tres solum assignantur, quia partes integrales, quae sequuntur extensionem, ortum habent ex materia, quae est radix extensionis, quare dum loquimur de partibus integranibus hoc Sacramentum, assignamus illas, quae sunt partes materiae, non loquendo de formaliter, in rigore loquendo, aliae etiam sint partes formales, nempe absolutio, & significatio.

Dico secundò: nec sola absolutio, sed etiam Confessio, & contritio componunt intrinsecè hoc Sacramentum.

Probat ex eisdem Conciliis, & dicta etiam Bulla Leonis X. vbi haec dicuntur partes Sacramenti poenitentiae: quare Scoti sententiam negantem, illas esse partes intrinsecas, sed solum requiri tanquam dispositiones, non pauci Theologi grauiori censura afficiunt. Caiet. *infra quest. 90. art. 2. ait*, esse erroneam; alij dicunt, esse temerariam; alij plusquam temerariam. Alij in bonum sensum conantur Scoti verba trahere, vt Angles, qui dicit, Scotum non negasse, illas esse proprie intrinsecas, sed solum negasse, esse proprie partes materiae, quod videtur iuxta modum loquendi Florentini, & Tridentini: vbi dicitur illa quasi materia. Alij dicunt, Scotum solum velle, quod Sacramentum non supponat in recto pro illis, sed solum pro absolutione, connotando alias partes in obliquo. Alij, vt Vega, *3. in Trident. cap. 13.* quod Scotus non negat illa esse partem integram, sed solum negat esse partem essentialem. Haec tamen explicationes difficile aptantur Scoti verbis, vt consideranti patebit.

Ratione item supra facta probatur conclusio, quia posita absolutione, si desit omnis confessio, & dolor de peccatis, non datur Sacramentum, ergo non est sola absolutio totum esse intrinsecum huius Sacramenti.

Dices, non quamcumque absolutionem sufficere, sed absolutionem peccati per confessionem dolorosam explicati.

Sed contra, quia iam in hoc ipso includis confessionem, & dolorem, tanquam partes sacramenti intrinsecas: nam includis absolutionem, non quamcumque, sed à peccato per confessionem dolorosam explicati: Absolutio autem illa, prout sic, constituitur formaliter ab ipsa confessione, & dolore precedente; nam ab illis habet formaliter, quod denominetur absolutio peccati cum dolore confessi: ergo si absolutio, prout sic denominata inerat ad constituendum sacramentum, necesse est, quod intrent illa, à quibus formaliter denominatur talis illa absolutio.

Obiicies primò, ex hac ratione sequi, non solum confessionem, & dolorem, sed etiam peccata ipsa debere intrare ad componendum intrinsecè hoc Sacramentum. Nam confessio etiam cum dolore, & absolutione non sufficit ad constituendum Sacramentum, nisi re ipsa praecesserint illa peccata, de quibus homo se accusat. Si enim aliquis putans, se commississe aliquod peccatum, quod re vera non commisit,

P. Ioan. de Lugo, de Poenitentia.

confiteatur solum illud cum dolore, & absoluat, non fit Sacramentum; ergo confessio, & dolor non constituunt hoc Sacramentum, nisi quatenus sunt de peccato, quod re vera extitit. Hanc autem denominationem confessionis, & doloris de peccato vero habent formaliter ab ipso peccato praeterito, neque enim est alia forma, à qua possint habere talem denominationem: Ergo si non componunt Sacramentum, nisi prout habent talem denominationem; oportet, quod forma denominans, seu peccatum ipsum praeteritum intret etiam partialiter ad componendum intrinsecè hoc Sacramentum, atque adeò non erunt materia illi solum tres partes à Concilio posite, sed etiam peccata ipsa praeterita.

Respondeo, physicè loquendo negari non posse, quin praeteritio peccati aliquo modo intret saltem in obliquo ad constituendum Sacramentum hoc, vt omnino videtur conuincere argumentum factum, neque id esse contra mentem Conciliorum assignantium pro materia illos tres actus poenitentis, nam in illis includunt peccata in obliquo: quando enim assignatur pro materia confessio, & dolor de peccatis, intelligitur de peccatis veris, nam peccata ficta non sunt simpliciter peccata, cum ergo materia sit dolor de peccatis veris, hoc est, quae verè extiterunt, dolor autè de peccatis veris includatur in obliquo ipsa peccata à quorū praeteritione vera denominatur nunc dolor de peccatis veris, &c. Consequens est, quod ipsa peccata praeterita includantur in materia, quae assignatur in Conciliis, imò frequentissimè ipsa peccata appellantur materia huius sacramenti. Solent tamen appellari materia remota; quia sicut lignū dicitur materia remota ignis, ad cuius productionē destruitur lignū, sic in Sacramento poenitentiae, peccata, quorum distinctio intenditur per hoc Sacramentum, dicuntur eius materia remota, licet reuera illorum existentia praeterita debeat intrare in obliquo ad denominandam materiam proximam in ratione talis materiae proximae.

Dices, absque eo, quod intrent peccata ipsa, posse intelligi essentia Sacramenti, si intelligamus confessionem ortam ex scientia, seu memoria peccati: non potest enim esse confessio orta ex tali scientia quin re vera supponatur peccatum: ergo quoties datur confessio orta ex tali scientia, & dolor, datur materia Sacramenti nec, oportet quod ipsa intrent ad componendum Sacramentum.

Sed contra hoc est? quia in primis non omnis confessio oritur ex scientia, aut ex memoria euidenti peccati praeteriti, nā saepe confitemur peccata dubia, vel quorum solum probabiliter recordamur, quae memoria, & confessio ex illa orta non videntur supponere necessariò praeteritionem peccati. Praeterea cum possit haberi illa noticia peccati, per motiua extrinseca, verbi gratia, si alius quis tibi dicit, te olim fecisse tale peccatum, cuius tu non recordaris: & propter fidem, quam illi adhibes, confiteris illud peccatum, quae confessio, & noticia interna, quam habes de peccato, eadem omnino esset, si peccatum re vera non extitisset: ergo confessio orta praecise ex tali noticia secundum se non sufficit ad componendum Sacramentum, sed debet intelligi confessio orta ex noticia vera peccati praeteriti: hoc autem, quod est esse notitiam veram iam videtur includere peccatum praeteritum, à quo denominatur vera notitia, quae de se, & intrinsecè indifferens est, vt sit vera, vel falsa.

Adde, potuisse saltem de potestate Dei absoluta generari notitiam eque euidenter, ea scilicet euidencia, quae habetur per sensum, circa aliquod peccatum

peccatum saltem externum, licet re vera illud peccatum externum non fieret, atque adeo non posset esse materia sacramenti. Ergo quando est materia, non intrat sola notitia peccati: sed ipsum etiam peccatum in obliquo quo verò deficiente, & ceteris omnibus positis non esset materia valida, confessio illius peccati, quoad illam partem.

26. Denique à priori, & vniuersaliter etiam, quando confessio procederet ex memoria, aut notitia metaphysicè certa, aut euidenti peccati prateriti probari potest ex dictis, intrare aliquo modo ipsum etiam peccatum, seu eius prateritionem; quia si debet intrare notitia peccati, vt vera; debet intrare id, per quod talis notitia constituitur in ratione notitiæ veræ. Cognitio autem vera, etiam illa, quæ est per suam essentiam verâ, qualis est actus fidei, aut assensus euidens euidenti metaphysicæ, constituitur vera ex duplici capite; primò per propriam entitatem per quam exigit essentialiter conformitatem cum obiecto: secundò per ipsammet existentiam, vel prateritionem obiecti tanquam per formam extrinsecam: cum enim cognitionem esse veram, sit esse conformem cum obiecto, ab illa forma denominabitur formaliter verâ, à qua denominatur formaliter conformis obiecto: habet autem hanc denominationem eiusmodi cognitio à duplici forma, altera est intrinseca, scilicet propria essentia per quam habet ordinem essentialem ad obiectum, quod ita sit, pro vt affirmatur: altera est extrinseca, scilicet, obiectum ita esse, quia esse conformem obiecto, est affirmare v.g. Petrum heri peccasse, & re vera Petrum heri peccasse, sicut affirmatur ab eo, ergo, quod res ita fuerit, propositio dicitur, & denominatur formaliter verâ, vt dixit Aristot. ergo de primo ad vltimum, si notitia peccati, vt verâ intrat ad componendam materiam sacramenti; id totum, per quod formaliter constituitur verâ, poterit intrare sacramenti compositionem.

27.
Intentio an
sit pars

Obiicies 2. Propter eandem, aut maiorem rationem debuisse assignari pro materia intrinseca huius sacramenti intentionem, quæ poenitens vult recipere absolutionem: nam sine hac intentione licet ponantur cætera omnia, non fit sacramentum validum, vt constat.

Respondeo, eam intentionem intrare proculdubio ad componendum sacramentum partialiter propter eandem rationem, licet in hoc aliquantulum dubitet P. Vazquez in *presenti* q. 84. art. 1. dub. 2. n. 11. Illa tamen intentio subintelligitur nomine confessionis; nam accusatio voluntaria poenitentis est volitio obtinendi sententiam à Iudice, & per consequens intentio recipiendi sacramentum, quod per absolutionem perficitur.

28. Obiicies tertio, quia in aliis sacramentis actus illius, qui sacramentum recipit, non sunt pars sacramenti verbi gratia, in ordinatione acceptio libri quem Episcopus tradit, quatenus se habet ex parte ordinandi, non est pars sacramenti, sed traditio, quatenus se habet ex parte ordinantis, & sic de aliis; ergo nec in hoc sacramento debent actus poenitentis assignari pro materia.

Respondeo: Imò etiam in aliis sacramentis (excepta Eucharistia, in qua ante eius usum datur ratio sacramenti) actus requisiti essentialiter ex parte suscipientis sunt pars, & materia sacramenti, nam in Ordine non solum traditio actiua, sed receptio passiva sunt materia sacramenti; & sic de aliis: Vnde non est hoc peculiare in sacramento poenitentiae.

29. Dices; Ergo non minus ipse poenitens confert sibi gratiam, quam sacerdos qui eum absoluit, confert, & per consequens poenitens etiam poterit dici

minister sacramenti, siquidem ponit partialiter id, quod causat gratiam sacramentalem, atque eadem ratione poterit dici ipsum absolueret, quid enim aliud est absolueret, nisi auferre vincula peccatorum, quod fit causando gratiam, quæ expellit peccata? cum ergo poenitens causet gratiam mediis suis actibus, dicitur etiam absolueret se media illa gratia: hæc tamen omnia sunt absurda, vt patet.

Responderi posset, negando sequelam; quia licet actus poenitentis sint partes sacramenti, nõ requiruntur, quod omnes sacramenti partes causent gratiam, sed sufficit, quod illam causet sacramentum per aliquam sui partem, hoc autem sacramentum causat gratiam per solam absolutionem Sacerdotis, in quo est potestas clauium ad absolendum, & ad destruenda peccata, ita videntur sentire plures, quos affert Suarez *disp.* 18. *sect.* 2. *num.* 11. qui dicit, hanc esse solutionem probabilem.

Ceterum in nostra sententia negante sacramentis in fluxum physicum ad gratiam, difficile explicabitur, quomodo illæ alie sint partes essentielles sacramenti, & non causent moraliter gratiam. Nam causare moraliter gratiam, est mouere Deum ad dandam illam: Deus autem non mouetur à solis verbis Sacerdotis ad dandam gratiam; positus enim verbis solis absque aliis requisitis, non confert gratiam, ergo mouetur etiam à confessione, & dolore, poenitentis, & per consequens hæc etiam causant moraliter gratiam.

Dici posset, Deum aliter moueri à confessione, & contritione, & aliter ab absolutione: nam ab hac mouetur, tanquã à verbis, & operatione Christi, qui loquitur, & operatur per suum ministrum, atque adeo sunt verba, habentia virtutem efficacem & vires condignas ad mouendum Deum à confessione verò, & dolore, cum non sint vilo modo actiones Christi, nec ministri operantis nomine Christi mouetur tanquam ab aliquo habente non quidem vires, & efficaciam; sed solum aliquam exiguam congruentiam ad mouendum, atque adeo sola absolutio est, quæ habet virtutem simpliciter ad causandam moraliter gratiam, & ad mouendum Deum.

Sed contra hoc est, quod verba absolutionis non mouent, nec habent virtutem mouendi Deum, nisi quatenus sunt verba Sacerdotis loquentis ex delegatione & nomine Christi. Verba autem illa non sunt talia secundum se; nec quoties Sacerdote proferuntur: si enim confessio nulla præcedat, aut nullus dolor; Sacerdos proferens verba, nihil facit, nec operatur nomine Christi, quia Christus non dedit illi potestatem absolvendi, aut loquendi eius nomine, nisi in tali casu, quando scilicet præcederet confessio dolorosa; igitur verba illa in tantum proferuntur hic, & nunc nomine Christi, in quantum præcedit confessio, & dolor: ab his enim actibus denominantur partialiter verba illa quæ sunt verba Christi: si ergo verba illa non mouent Deum nisi sunt verba Christi: nec sunt verba Christi, nisi quatenus denominantur ab actibus poenitentis, sequitur de primo ad vltimum quod non mouent Deum, nisi pro vt denominantur ab actibus poenitentis; ac per consequens ipsos actus poenitentis debere intrare partialiter ad componendum non solum sacramentum, sed etiam id quod in sacramento mouet Deum, in ratione talis motui, vt constat: Vnde partialiter integrant virtutem causatiuam moralem, quæ est in sacramento.

Alij ergo quibus consentit Suarez ibi, & P. Corninch in *presenti* *disp.* 4. dub. 4. in fine, dicunt, actus etiam poenitentis causare gratiam sacramentalem, non

non tamen secundum se consideratos, sed prout eleuantur à sacerdote secundum se, ut videmus, non habent hanc potestatem clauum, ad hoc, ut sint partes sacramenti, & conferant gratiam; quare tota actiuitas tribuitur ipsis verbis, à quibus diminat actiuitas in cæteris compartes.

Hæc tamen solutio videtur pari eandem difficultatem quia verba sacerdotis secundum se, ut videmus, non habent hanc potestatem. sed solum, ut considerantur esse verba Christi dicta per suum ministrum loquentem ex potestate à Christo accepta: sed verba illa non sunt talia, nisi prout dicta post confessionem dolorosam, & prout ab illa denominantur. Ergo non possunt eleuare confessionem, & dolorem, nisi prout denominantur ab ipsa confessione, & dolore, & per consequens prout includunt confessionem, & dolorem; quod est aperte falsum; tunc enim eleuatio illa proueniret partialiter ab ipsis actibus pœnitentis, quod repugnat, nihil enim potest se ipsum eleuare ad aliquid operandum.

Ad obiectionem ergo fatendum est actus pœnitentis, concurrere partialiter ad causandam gratiam, tanquam partes scilicet illius virtutis moriæ, quæ verba sacerdotis mouent Deum, quia verba secundum se, ut dixi, non habent talem virtutem completam, sed ut à talibus circumstantiis, & actibus pœnitentis denominantur esse verba prolata ex potestate, & auctoritate Christi: Cæterum hoc non sufficit, ut pœnitens ipse dicatur sibi ministrare hoc sacramentum, tum quia *minister* in rigore loquendo importat distinctionem inter ministrum, & eum, cui ministrat: sicut enim nemo proprie seruit sibi, sic nec ministrat: quare in iis sacramentis, in quibus debet interuenire persona diuersa à suscipiente, illi conuenit appellatio ministri simpliciter, & absolute: Vnde in sacramento Matrimonij vnus coniux dicitur ministrare alteri sacramentum, non sibi, tum etiam quia, qui producit materiam, non solet dici producere compositum: materia enim de se est magis indifferens, sic etiam qui produceret species panis, ex quibus postea constat sacramentum Eucharistiæ, non dicitur producere sacramentum Eucharistiæ, hæc enim denominatio tribui solet illi soli, qui producit, vel vnit formam.

Deinde multò minus pœnitens dicitur absolue seipsum: quia absolutio est actus habentis auctoritatem ad iudicandum, vel dimittendum, pœnitens autem non habet talem auctoritatem, ut constat: sed solum potest ponere illas actiones quæ partialiter concurrent ad denominandum Sacerdotem absoluentem nomine Christi, quando ipse profert verba absolutionis; eadem enim actio tribuit diuersam denominationem diuersis subiectis iuxta eorum capacitatem diuersam: eandem scilicet confessio denominat pœnitentem confitentem, & eadem sacerdotem profertem verba denominat absoluentem nomine Christi, quia Christus non dedit auctoritatem sacerdoti absoluendi suo nomine, nisi pœnitentem confessum, &c. quam auctoritatem cum non dederit pœnitenti, non denominabit ipse absolvens, sed confessus, & ponens aliquid à quo partialiter sacerdos denominatur absolvens nomine Christi.

Denique nec in rigore loquendo dicitur pœnitens conferre sibi gratiam in sensu proprio, & stricto: poterit quidem dici causans aliquid, quod partialiter concurrat ad gratiam, poterit etià dici causa, quod sacerdos det illi gratiam per sua verba, atque adeo poterit dici aliquo modo causare in se gratiā, non tamen dare, vel conferre, strictè loquendo,

P. Ioan. de Lugo de Pœnitentia.

quia hæc verba, quando ad personas rationales applicantur, non solent usurpari nisi de persona, quæ in sua potestate, & dominio habeat illud, quod dat, saltem si id, quo dari dicitur sit remissio, aut venia iniuriæ. Sicut enim non dicitur remittere debitum, vel offensam, nisi creditor, vel offensus, aut eius procurator; sic nec dicitur proprie dare remissionem, aut veniam, vel reconciliationem, alioquin ille etiam, qui petit veniam ab alio, diceretur dare sibi veniam, quia est causa, quod alter det veniam; hæc tamen pertinent ad modum loquendi, quare si rectè explicetur, poterit sine inconuenienti admitti, quod pœnitens per suos actus confert aliquo modo sibi gratiam diuinam, quatenus est causa, quod conferatur.

Dices, ergo eodem modo concedi debet, quod peccata præterita mouent Deum, & causant moraliter gratiam huius sacramenti, quia hæc non causatur à verbis sacerdotis, nisi quatenus illa verba proferuntur ab ipso, nomine Christi: proferri autem nomine Christi, est proferri post confessionem dolorosam peccati veri & non ficti, ut supra probatum est; ergo peccata ipsa integant partialiter verba illa in hoc, quod est esse verba Christi per eius ministrum, & per consequens habentia efficaciam ad mouendum Deum, ergo saltem partialiter mouent Deum & causant etiam moraliter gratiam præsentem.

Respondeo peccata secundum se considerata non mouere Deum, nec causare moraliter gratiam, eadem tamen peccata, prout cum confessione, dolore, & absolutione integant verba sacerdotis, ut loquentis nomine Christi in ratione talium posse partialiter mouere, seu esse partem illius aggregati quod per modum totius mouet Deum ad dandam gratiam: in quo nullum est absurdum: nam actus etiam inhonestus, ut inhonestus est, & malus moraliter displicet Deo, & mouet ad indignationem & supplicium, actus autem ut malus moraliter, includit etiam cognitionem, seu regulam rationis dictantis oppositum, quæ quidem regula, seu cognitio, non displicet Deo, sed placet, illud tamen totum, quod resultat ex cognitione, & volitione obiecti turpis displicet Deo & mouet ad supplicium per modum totius: sic ergo in præsentem contra, licet peccata secundum se displiceant Deo, nec moueant ad dandam gratiam: totum tamen quod resultat ex peccatis præteritis, confessione, dolore, & absolutione præsentem, mouet Deum ad dandam gratiam, quia hæc faciunt, quod verba illa sint verba dicta nomine Christi, & per consequens habeant efficaciam ad mouendum Deum.

Obiicies quartò: Partes Sacramenti debent esse sensibiles. Contritio autem, vel dolor, non est sensibilis; cum sit actus internus; ergo contritio non est pars intrinseca Sacramenti, sed aliquid extrinsecum, requisitum tamen ex Christi institutione ad Sacramenti valorem.

Respondet, non posse contritionem esse requisitam ad valorem Sacramenti, nisi sit pars Sacramenti; si enim non est pars; ergo non posita contritione, & positis omnibus aliis, iam essent omnes partes Sacramenti intrinsecæ, & per consequens iam esset Sacramentum, cum non possit dari totum esse intrinsecum alicuius compositi, quin detur etiam illud compositum, ergo si tunc non datur Sacramentum, ideo est, quia deest aliquid intrinsecum Sacramenti: nihil, autem deest præter contritionem; ergo hæc non est extrinsecè requisita, sed aliquid intrinsecum Sacramento.

Ad obiectionem igitur, Respondetur facillè, contritionem non esse sensibilem in se, fieri tamen sensibilem

sibilem per confessionem, quod sufficit ad hoc, ut sit pars Sacramenti, sicut in Eucharistia corpus Christi est pars principalis Sacramenti, & tamen secundum se non est sensibile, sed per species panis & verba consecrationis, ut vidimus in Tomo præcedenti.

Quomodo autem ex institutione huius Sacramenti inferatur necessitas doloris ad eius valorem, dicemus postea agentes de contritione, & dolore in particulari.

40.
Satisfactio
est pars.

Dico tertio: satisfactio est pars non essentialis, sed integralis, componens intrinsecè materiam huius Sacramenti; per partem essentialē intelligimus eam, sine qua non potest dari essentia Sacramenti; per partem verò integram illam, sine qua datur quidem Sacramentum essentialiter, non tamen omnino integrum: sicut datur homo essentialiter, absque utroque pede, non tamen integer, & perfectus. Conclusio in hoc sensu est communis, quæ licet negari videatur ab aliquibus dicentibus satisfactionem non esse partem Sacramenti, intelligi tamen possunt de parte essentialiter requisita, non verò de parte aliquo modo integrante, & complente Sacramentū. Probat autem ex decreto Eug. & Tridentini supra citatis, assignantibus illas tres partes in materia, contritionem, confessionē, & satisfactionem. Ratio verò est, quia hoc Sacramentum ordinatur ad completam remissionem peccati, quare non solum operatur remissionem à culpa per absolutionem, sed etiam à pœna, quod fit quando impletur satisfactio imposita, ergo ipsa satisfactio erit pars Sacramenti operantis illos affectus.

Contra hanc conclusionem plura possunt obijci. Primo pars Sacramenti debet esse aliquid sensibile; satisfactio autem potest esse aliquid spirituale, potest enim imponi pro pœnitentiâ meditatio, vel oratio mentalis per horam: ergo satisfactio non est pars Sacramenti pœnitentiæ.

Almainus in 4. dist. 1. q. 1. & Alex. Alensis 4. part. q. 84. memb. 2. art. 1. dicunt, non posse imponi pœnitentiâ sacramentalē mere internam, vel propter rationē factam, vel quia humanā præceptū non solet esse de actu merè interno. Communis tamen sententia concedit, posse imponi talē pœnitentiâ, quia licet nō sit sensibilis per se erit tamē sensibilis per aliud, scilicet per præceptū cōfessarij, & acceptionē pœnitentis, sicut dicebamus, Contritionem de se insensibilem fieri sensibilem per confessionem.

Nec obstat, præcepta humana esse debere de operibus externis, id enim intelligitur in foro humano in quo nec etiam puniuntur delicta merè interna in hoc foro sacramentali, in quo delicta etiā merè interna puniuntur, & inquiruntur; non mirum si pœna etiam merè interna imponatur: De hoc tamen in disputatione de satisfactione.

Secundo obijciunt, quia materia debet antecedere formam: satisfactio autem non antecedit; sed subsequitur formam huius Sacramenti, ergo non est pars materiæ.

Propter hoc quidem Petrus de Osma dixit, satisfactionē debere impleri ante absolutionē, quem ritum observari solitū fuisse olim à Gracis, saltem in absolutione publica, refert Palatinus *distinct.* 15. *quæst.* 1. ex Niceph. libro. 1. capite 26. Hunc tamen tanquam errorem refert Sixtus IV. in Bulla contra illū Petrū de Osma; nam licet possit satisfactio impleri ante absolutionē, ut notat Sylvest. verbo *Confessio* 1. §. 24. Id tamen nō est necessarium: nec oportet semper omnes partes materiæ præcedere ante formā. Sic enim Iudicio humano exequutio multæ sequitur post sententiā, & in composito humano post infusione animæ accrescunt dentes, capilli,

& aliæ multe partes per continuam nutritionem & in aliis Sacramentis potest prius proferri forma & immediatē post applicari materia, ablutio, verb. grat. vel vñctio, &c. potuit ergo similiter forma præcedēs informare satisfactionem subsequen-

tem. Sed contra hanc communem solutionem viget adhuc potest, quia si satisfactio est materia partialis, oportebit assignare aliam formam partialem illi correspondentem; Nam forma illa *Ego te absolvo*, &c. non determinat sufficienter hanc materiam ad effectum Sacramentalem: potest enim aliquis post absolutionem ieiunare absque eo quod ieiunium sit satisfactio sacramentalis, quando scilicet non fuit illi ieiunium à confessorio impositum: ergo præter verba absolutionis requiruntur etiā verba, quibus cōfessarij imponit ieiunium in pœnitentiā. Sine his enim verbis ieiunium non significat sufficienter affectum sacramentalem. Ergo hæc verba, quibus imponitur pœnitentia, sunt forma respectu huius materiæ partialis, quæ est satisfactio, & per consequens verba illa, *Ego te absolvo*, &c. non erunt forma adæquata huius Sacramenti, sicut nec contritio, & confessio sunt materia adæquata, & integra.

Respondeo, negari non posse quod in hoc Sacramento includantur verba formalia, vel virtualia, quibus à sacerdote pœnitentia imponitur. Nam satisfactio nō est pars huius Sacramenti, nisi ut imposita à sacerdote, à quo eleatur ad effectū ex opere operato præstandum, eleatur autem, quatenus imponitur ab ipso, ut Christi ministro, ergo illa impositio pœnitentiæ debet esse aliquid intrinsecum Sacramento. Dixi autem requiri verba illa formalia, vel virtualia: quia licet absolutio sacramentalis debeat omnino fieri per vocem, & verba formalia, impositio tamen pœnitentiæ possit fieri per nutum, ut contingit, quando pœnitens est omnino furdus, cui per nutum significatur pœnitentia, quam debet præstare: illi autem nutus sunt verba virtualia, cum æquivalent vocibus, & illi etiam nutus erunt aliquid intrinsecum Sacramento, nec tra verba, nec formalia, nec virtualia sunt forma etiam partialis huius Sacramenti, sed pertinent potius ad materiam, & intelliguntur sub nomine satisfactionis, quo nomine non intelligitur opus pœnale secundum se, sed opus impositum à Confessorio, & propterea sic impositum dicitur materia partialis in hoc Sacramento, forma verò est sola absolutio, quæ informat omnes partes materiæ.

Dices, verba absolutionis nihil significare de satisfactione, sed de culpis: verba autem, quibus imponitur pœnitentia determinat opus satisfactorium ad hoc ut sit opus Sacramentale. Ergo hæc potius verba, quam absolutio erunt forma respectu satisfactionis.

Respondeo, opera satisfactionis explicari, & determinari per verba, quibus imponitur à sacerdote, & per verba absolutionis, sed valde diverso modo: nam per priora explicantur solum in ratione obligationis, quia illa verba solum dicunt, pœnitentem obligari à Confessorio ad talia opera: non dicunt autem, illa opera liberare ex opere operato à reatu pœnæ temporalis: per posteriora autem verba absolutionis declaratur magis hæc efficacia satisfactionis, quia dum Sacerdos vrens potestatem sibi tradita, dicit, se absolvere & liberare pœnitentem quantum potest, eo ipso ostendit, se liberare eum non solum à reatu culpæ, sed etiam à reatu pœnæ quantum virtute Sacramenti potest mediis operibus satisfaci-

fatissactoris impositis; quare illa verba sunt, quæ determinat opera fatissactoria imposita, & explicat illorum efficaciam in ordine ad fatissaciendum ex opere operato. Verba ergo, quibus illa opera præcipiuntur, sunt quasi forma operis impositi in ratione obligatorij: eadem autem opera cum illis verbis, quibus præcipiuntur: hoc est opus obligatorium ex præcepto Confessarij, est rursus materia in ordine ad formam absolutionis, quæ est illius forma in ratione operis fatissactorij, ex opere operato. Et quoniam Sacramentum, ut Sacramentum magis denotat efficaciam, & significationem gratiæ, & sanctitatis, quam obligationis; tunc est, quod magis dicitur forma fatissactionis illa, quæ determinatur in ratione causantis, & significantis expiationem: quam illa quæ determinatur in ratione obligatorie.

47 Dices iterum, scētētia est forma respectu executionis scētētiæ: ergo impositio pœnitentiæ, quæ est scētētia iudicis, est potius forma respectu fatissactionis.

Respondetur iuxta supradictam sententiam obligatorem esse formam executionis scētētiæ in ratione obligatorie: non verò in ratione afferentis ex opere operato aliquam sanctificationem vel liberationem, vel commutationem ipsius pœnitentiæ: hanc enim significationem potius habet fatissactio ab absolutione, per quam liberatur pœnitens ab alio reatu pœnitentiæ, quæ absolutio est etiam scētētia, imò principalior, per quam iudex absolvit reum à reatu pœnitentiæ, commutando illam in opera imposita.

48 Probanda nunc est etiam secunda pars conclusionis positæ, quod scilicet fatissactio non sit pars essentialis, sed solum integralis huius Sacramenti; quod probatur primò quia remissio peccati nõ datur absque contritione, nisi per Sacramentum in receptum, sed sine contritione, & cum sola attritione datur remissio peccati ei, qui cõfiteatur, & absolvitur, licet postea pœnitentiam non impleat, vel propter oblivionem, vel propter aliam causam; remissio enim peccati præcedens non pendet ab eo quod postea à futuro est, ergo ante fatissactionem habetur Sacramentum in re, licet non omnino integrum, & perfectum.

49 Secundo: si fatissactio esset de essentia Sacramenti, nunquam posset dari essentia Sacramenti sine illa parte. Consequens autem est falsum, quia sæpe id potest contingere, 1. quando pœnitens nullam prorsus potest implere pœnitentiam, quia nimirum post confessionem amisit usum rationis, aut senium; ut dicitur in cap. ab infirmis 26 q. 7. Deinde si constaret Sacerdoti peccatum esse dimissum, quoad totam pœnitentiam per ferventem contritionem, quam pœnitens habet, tunc non oportet imponere pœnitentiam, ut docet Caiet. in summa verbo fatissactio. & alij communiter.

50 Tertiò probatur, quia si fatissactio esset pars essentialis Sacramenti, deberet pœnitens implere pœnitentiam in statu gratiæ, vel cum attritione solum, ne Sacramentum frustraretur suo effectu; quæ tamen obligatio est contra communem praxim. Nõ ergo est pars essentialis, sed solum integralis, quæ cum aliis integrat totam materiam completam huius Sacramenti.

Adverte item, has partes appellari apud Concilia non simpliciter materiam, sed quasi materiam, eo quod in aliis Sacramentis materia sit aliquid permanens & substantiale, ut aqua, oleum, &c. Et hoc videtur magis sonare nomen *materiæ*, cum in composito naturali, & in artificiali etiam materia semper sit aliqua substantia: in hoc autem Sacramento pro materia assignantur actiones pœnitentis, quæ

sunt accidentia transeuntia. Et ideo non appellantur simpliciter materia, sed quasi materia. Videatur Vasquez in presenti dub. 2. n. 8.

SECTIO III.

Quid importetur in recto per Sacramentum pœnitentiæ?

357 R Estat iam secundus sensus quæstionis positus pro qua scilicet parte supponat in recto Sacramentum pœnitentiæ, an pro omnibus, an pro aliqua solum? In hoc puncto plures esse possunt dicendi modi. Primus quod supponat in recto pro actibus pœnitentis, connotando in obliquo absolutionem pro quo adduci possunt Alex. quæst. 60. membr. 2. & Soto in 4. distict. 14. quæst. 1. art. 1. quod videtur desumi ex ipso nomine *Pœnitentiæ*, nam absolutio non est pœnitentia, sed solum pœnitens dicitur ponere pœnitentiam; an verò omnes actus pœnitentiæ dicantur eque in recto? Aliqui dicunt supponere pro omnibus, quod videtur etiam sentire P. Vasquez in presenti dub. 2. n. 7. Alii dicunt, supponere in recto pro confessione, & fatissactione. Alij pro sola contritione quæ exprimitur per confessionem, & perficitur per fatissactionem.

358 Secundus dicendi modus est, quod hoc Sacramentum supponat in recto pro actibus pœnitentis & absolutione, in obliquo autem connotet vim Sacramentalem, quam habet, & quæ est ultima forma Sacramenti, ut Sacramentum est, ita videtur loqui Marilius in 4. q. o. art. 1. Ledesma, & alij, cum quibus videtur etiam sentire Vasquez ubi supra dicens, supponere ex æquo pro materiali, & formali, licet paulò ante dixisset, hoc Sacramentum esse contritionem, confessionem, & fatissactionem, ut sunt sub hac forma absolutionis, in quibus verbis magis videtur consentire primæ sententiæ.

359 Hanc dicendi modum probant aliqui, quia in aliis compositis artificialibus nomen significat in recto omnes partes materia, licet ex illis una se habeat ut forma respectu alterius; sic enim vnguentum rosaceum significat directè oleum & rosam, in obliquo autem ultimam formam artificij, licet rosa e iam, in quibus est perfectior vis, videantur se habere, tanquam forma respectu olei.

360 Sed hoc exemplum parum verget, quia fortassis est falsum: nam rosa significat per nomen illud adiectivum videntur importari solum de connotato, & cum totum argumentum sit à puris particularibus, non concludit. Certum enim videtur, quod in hoc etiam Sacramento iurisdicctio, vel potestas confessarij, non importetur in recto, sed solum in obliquo, licet sit aliquid intrinsecè requisitum, & non sit ultima forma Sacramenti, ut Sacramentum est.

361 Alij probant secundo quia nulla vox connotat in obliquo duas formas, sed per vocem *Sacramenti pœnitentiæ* connotatur in obliquo vis significandi, & operandi, quæ est ultima forma Sacramenti in ratione Sacramenti, ergo absolutio non potest importari de connotato, sed in recto.

362 Hæc etiam ratio supponit falsum; nam in Sacramento Eucharistiæ importatur in obliquo, non solum vis significandi, sed etiam consecratio, est enim corpus Christi sub speciebus consecratis, & in Sacramento extremæ unctionis importatur etiam in obliquo benedictio olei, est enim unctio cum oleo benedictio &c.

363 Tertius modus dicendi est, supponere in recto

P 4

pro

pro sola absolutione, ita ut Sacramentum hoc sit absolutio à Sacerdote poenitentis confessi, cum dolore, &c. In hoc sensu defendit, & explicat sententiam Scoti Angles in *quest. de Sacram. poenit.* & videtur etiam de mente Alex. Richard. & Bonavent. quatenus dicunt, quod considerando poenitentiam, prout est Sacramentum, supponit pro absolutione: & probari potest: quia Sacerdos solus est qui causat gratiam, & confert Sacramentum & tamen ipse solum ponit absolutionem.

Tota hæc controuersia est de vocibus, in qua certum est potuisse per Sacramentum poenitentiae significari materiam, & formam, utramque in recto, potuisse etiam significari solam formam, connotando materiam; vel solam materiam connotando formam; vel solam vnā partem materiae, verbi gratia, confessionem condonando alias: nam vox de se apta erat ad significandum quocumque modo. Quod autem vox, *poenitentia* videatur sonare solum actum poenitentis; parum refert, quia contingit nomen aliquod impositum ad significandum totum desumi ex vna parte magis nota. Sic enim Baptismus videtur sonare solam absolutionem & extrema unctio solam materiam; imò aliquando ex solo effectu, ut *ordo*. Qui potius videtur effectus Sacramenti, quam ipsa actio ordinandi.

Certum etiam videtur, peccata non importari in recto, sed solum de connotato, quatenus importatur confessio peccati commissi. Ratio autem potest esse, quia cum Sacramentum sit id quod mouet Deum ad dandam gratiam; peccatum autem ex se magis moueat ad auferendam illam, non detur significari secundum se, & directè per nomen Sacramenti, sed solum de connotato.

An verò aliae partes importentur omnes aequè in recto? Dicendum videtur primò aliquando videri importari solam absolutionem in recto, ut dicebat tertia sententia; & hoc quidem non sine sufficienti fundamento. Hoc enim Sacramentum institutum est per modum condonationis, & remissionis: quando autem vnus homo condonat offensam, aut debitum alteri, tota actiuitas, & efficientia videtur esse in ipsa condonatione, & licet ad eius valorem praequiratur debitum, vel offensa condonanda, illud tamen requisitum videtur se habere ex parte materiae, non ex parte efficientis. Vnde concipiendo actiuitatem huius Sacramenti per species illius remissionis humanae, videmur concipere totam actiuitatem tenentem se etiam ex parte absolutionis & remissionis: & licet reuera absolutionis verba non habeant etiam ex se efficaciam completam, quando non praecedat confessio, & alia requisita: concipimus tamen ex parte modi concipiendi illa omnia per speciem dispositionum, licet reuera sint partes: vnde cum in usurpatione nominum sequamur plerumque modum concipiendi, & habeamus similem modum significandi, non mirum, si per hoc Sacramentum significamus etiam directè solam absolutionem connotando in obliquo cetera omnia, quae licet non legemus esse partes, ex modo tamen significandi, significamus illas per modum conditionum praequisitarum; sicut multa etiam solemus significare per aliqua nomina per modum alteri adiacentis, & ad modum accidentium, quae reuera sunt substantiae, & non adiacent. In hac ergo usurpatione vocabuli; Sacramentum poenitentiae erit essentialiter absolutio hominis confessi cum dolore peccatorum commissorum; integraliter autem, & completè erit etiam impositio satisfactionis, & eius exequutio;

nam hoc Sacramentum, ut est integrum, non solum est condonatio, sed est punitio etiam, quae includit sententiam, & eius exequutionem.

Addo tamen, frequentissimè hoc Sacramentum importare in recto non solum absolutionem, sed confessionem etiam, prout volebat secunda sententia: qui etiam modus significandi habet magnum fundamentum in re ipsa. Hoc enim Sacramentum institutum est à Christo per modum iudicij: iudicium autem humanum intrinsecè constat non solum ex sententia Iudicis, sed ex aliis actibus, iudicialibus, scilicet, accusatione, examine, confessione, &c. Cum ergo hoc Sacramentum apprehendamus etiam per speciem aliorum iudiciorum, in quibus hæc omnia significamus in recto; non mirum, si hoc etiam iudicium significemus ad modum aliorum importando omnes eius partes in recto; vnde infero, non solum confessionem poenitentis importari hoc modo; sed etiam auditionem, quae se tenet ex parte confessarij, & examen, quo ipse interrogat poenitentem, hi enim etiam sunt actus iudiciales, & pertinentes ad compositionem intrinsecam huius iudicij Sacramentalis.

Hæc ratio non videtur probare de dolore importari etiam in recto, cum ipse non sit actus iudicialis, nec pars aliorum iudiciorum. Ceterum cum hoc Sacramentum institutum etiam sit per modum reconciliationis, vnde aliquando hoc nomen solet appellari, apprehendimus etiam illud per species reconciliationis humanae, quae procul dubio constat ex voluntaria vtriusque quasi reuocatione, non solum ex parte offensis, sed etiam ex parte offendentis, qui eo ipso retractat offensam: reconciliari enim est vtrumque redire illuc, vnde voluntariè discesserat: cum ergo Christus dedit potestatem Sacerdotibus, ut eius nomine reconciliationem facerent cum peccatoribus, necessariò in hac reconciliatione includitur affectus poenitentis redeuntis sponte sua ad Deum; & per consequens hic etiam affectus in reconciliatione completè sumptus importatur in recto: reconciliari enim est, hominem redire ad Deum, & Deum redire ad peccatorem.

Adde, dolorem etiam, sicut & confessionem, & absolutionem concurrere partialiter ad gratiam, quae in hoc Sacramento significatur, & produciatur: quare cum Sacramentum; ut Sacramentum sit, quod significat, & causat gratiam; potuit aequè importari in recto dolor, sicut absolutio, & confessio, cum aequè significet, & causet gratiam. Quod cum proportionè de satisfactione dicendum videtur, quae partialiter concurrat ad perfectam expiationem peccatorum.

Dices, imò hoc titulo solam absolutionem debuisse in recto importari, quia ut supra diximus, absolutio sola est, quam Sacerdos ponit, ut Christi Minister, vnde cum efficacia Sacramenti procedat ex eo, quod sit actio Christi, quam facit per suum Minister: sola absolutio est, quae Deum mouet ad dandam gratiam: confessio autem & dolor mouent quidè non secundum se, sed prout integram absolutionem in ratione actionis Christi, eo quod Christus (ut diximus) non dedit potestatem Sacerdoti absoluendi eius nomine, nisi poenitentiam cum dolore confessum: absolutio ergo sola in recto mouet Deum; confessio verò, & dolor solum in obliquo, quatenus denominant absolutionem hic, & nunc datam nomine Christi.

Respondeo in primis non solum absolutionem fieri nomine Christi, quia auditionem peccatorum, & interrogationem, aliasque actiones, quas Sacerdos exhibet

exhibet in hoc iudicio, agit nomine Christi, & vult eius minister ad hoc ab ipso deputatus. Deinde dico, licet dolor, & confessio in recto non sint operationes factæ nomine Christi, atque ideo non sint actiones habentes ex se condignitatem, & valorem ad causandam gratiam: esse tamen etiam in recto actiones, quæ mouent moraliter Deum ad dandam gratiam propter ipsas, non quidem de condigno, sed de congruo: accedentibus autem Christi meritis eleuatae sunt, ut infallibiliter mouerent Deum ad dandam gratiam, quare iam sunt causa, si non condigne, infallibiliter tamen causantes illum effectum de congruo, non enim repugnat, aliquam esse causam moralem infallibilem, licet hanc infallibilitatem habuerit ex meritis alterius, ut probauimus tomo precedenti exemplo contritionis, quæ extra Sacramentum affert infallibiliter gratiam, quam licet non mereatur de condigno, sed de congruo, licet hanc infallibilitatem habeat ex Christi meritis; ipsa tamen contritio non est mera conditio, sed causa moralis gratiæ. Sic ergo intra Sacramentum dolor, & confessio potuerunt ex Christi meritis habere, ut congruitas, quam ex se habent ad causandam moraliter gratiam, acceptaretur infallibiliter semper ad eum effectum, & per consequens iam ipsæ etiam in recto causabunt moraliter gratiam. Hoc autem sufficit; ut in recto concipiatur nomine Sacramenti, quod quidem in suo conceptu solum importat id, quod sensibilibiter significat, & causat gratiam infallibiliter, siue id sit causa condigna, siue congrua: Vtraque enim est vera causa moralis, quantum requiritur ad rationem Sacramenti.

Solum posset ob stare, quod ipsa confessio non semper sit actus vndequeque honestas, ita ut possit placere Deo: potest enim contingere, quod procedat ex aliquo fine vanæ gloriæ venialiter culpabili, & per consequens non poterit ex se mereri gratiam etiam de condigno.

Cæterum, quidquid de hoc sit, ad hoc, ut per nomen Sacramenti potuerit in recto significari, sufficit, quod communiter loquendo, & regulariter ipsa etiam in recto causet gratiam modo explicato, licet in aliquo particulari casu id non habeat: nomina enim imponuntur secundum communem modum concipiendi, qui etiam sumitur ex communi modo operandi. Aliunde autem semper erunt partes intrinsecæ Sacramenti, & concurrent partialiter ad causandam gratiam saltem in obliquo, quatenus semper integrabunt, & denominabunt absolutionem in ratione absolutionis factæ nomine Christi, & ex ipsius auctoritate, ut supra explicatum est. Et hæc sint satis de hac questione de nomine.

Solet hoc loco disputari, quid sit in hoc Sacramento illud, quod est res, & quod est Sacramentum, & quod est res simul, & Sacramentum, de quo P. Suarez disp. 1. 8. sect. 5. & P. Vasquez q. 8. art. 1. dub. 3. de hoc tamen dixi latè in tract. de Sacramentis in genere disp. 1. sect. 8. ubi eam questionem semel pro omnibus Sacramentis explicuimus.

Posset etiam agi de necessitate huius Sacramenti, de hoc tamen dicemus infra agentes de necessitate confessionis. Item de eius iterabilitate, de qua etiam dicemus agentes de materia confessionis; an possint esse peccata eadem sæpius repetita? Denique agi solet hic de potestate clauium, & remittendi peccata: de qua dicemus disputatione sequenti agentes de sensu & potestate verborum absolutionis.

DISPUTATIO XIII.

De forma Sacramenti pœnitentiæ.

SECT. I. Verum, & quæ verba sint necessaria ad formam huius Sacramenti.

SECT. II. Quem effectum habeant verba in forma huius Sacramenti.

SECT. III. Quem sensum habeant verba in forma huius Sacramenti.

SECT. IV. Vtrum forma absolutionis possit per modum deprecationis proferri.

SECT. V. Vtrum absolutio sacramentalis possit dari sub conditione.

SECT. VI. Alia dubia circa eandem formam absolutionis.

SECT. VII. Vtrum forma absolutionis possit proferri a pluribus Ministris.

Diximus de partibus huius Sacramenti, quæ in communi, & in confuso, nunc iam agendum est de singulis distinctè, & in particulari. Inuertimus autem aliquantulum doctrinæ ordinem, agentes prius de forma: quam de materia; tum ut sequamur in hoc sanctum Thomam: qui idem facit, tum etiam quia cum materiæ plures sint partes, & longiorem tractatum desiderent oportuit prius hanc expedire quæ, & magis necessaria est, & breuior, ut postea liberior sit nobis; disputatio de materiæ partibus in particulari.

SECTIO I.

§. 1. Vtrum, & quæ verba sint necessaria ad formam huius Sacramenti.

Dvo quaruntur sub hoc titulo: Primum, an requirantur essentialiter verba propriè dicta? Secundum, quæ sint illa verba? Circa primum nonnulli iudicant, non requiri essentialiter verba propriè dicta, sed sufficere scripturam, vel aliquid, quod Sacerdos manifestet se remittere peccata. Paulus Molin. Petrus de Soto & Nauarrus quos affert Suarez in præsent. disp. 19. sect. 1. n. 1. Ratio autem potest esse, quod hoc Sacramentum institutum est per modum iudicii: ergo id, quod sufficit in rigore ad valorem sententiæ in aliis iudiciis, sufficit in hoc: quare sicut Sacramentum matrimonij absque verbis perfici potest, eo quod sequatur naturam contractum; sic hoc Sacramentum perfici posset eo quod sequatur naturam iudicii; imò in hoc ipso Sacramento pœnitens potest nutibus, vel scripto manifestare sua peccata Sacerdoti præsentem, & Sacerdos etiam potest nutibus, vel scripto imponere pœnitentiam; ergo & poterit etiam absolueret. Nec enim ex Christi institutione aliud potest colligi; nam verba illa? *Quorum remisistis peccata remittuntur eis*, &c. Non minùs verificabuntur in hoc casu; qui enim nutibus, vel scripto remittit offensam verè, & in rigore illam dicitur remittere.

Contraria sententia cõmunis est, & certa apud Theologos cum Magistro in 4. distinct. 14. & S. Thom. in præsent. q. 84. art. 3. & 4. Probatur ex Concilio Florentino in decreto Eugenij & Trident. sess. 14. c. 3. in quibus forma huius Sacramenti dicitur consistere in verbis illis *Ego te absoluo* &c. Et generaliter Eugen. dixit, omnia Sacramenta perfici verbis

Si
An requirantur essentialiter verba in propriè dicta.

Ioan. 20.

verba.